Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26830
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Lib

in cruce pendentis latus lancea perforatum est. atque inde sanguis et aqua
profluxit. que sacramenta esse novimus. quibus edificatur ecclesia. Nam
hoc etiam verbo scriptura usa est. ubi non legitur. formavit aut finxit.
sed edificavit eam in mulierem. Unde et apostolus edificationem dicit corporis
Christi. quod est ecclesia. Creatura est ergo dei femina sicut vir. sed ut de viro fieret. unitas
commendatur. Ut autem illo modo fieret Christus ut dictum est et ecclesia figurata
est. Qui ergo utrumque sexum instituit utrumque restituet. Denique ipse Ihesus in
terrogatus a Sadduceis qui negabant resurrectionem cuius septem fratrum erit
uxor quam singuli habuerunt dum quisque eorum vellet defuncti semen sicut lex pre
ceperat excitare. erratis inquit nescientes scripturas neque virtutem dei. Et cum
locus esset ut diceret de qua enim me interrogatis vir erit etiam ipsa non mulier.
non hoc dixit. sed dixit. in resurrectione enim. neque nubent neque uxores ducent.
sed sunt sicut angeli dei in celis. equales utique angelis immortalitate atque felicitate.
non carne sicut nec resurrectione qua non indiguerunt angeli. quoniam nec
mori potuerunt. Nuptias ergo dominus futuras negavit esse in resurrectione non fe
minas. et ibi negavit ubi talis questio vertebatur ut eam negato sexu muli
ebri celeriore facilitate dissolveret. si eum ibi prenosceret non futurum. Immo
etiam futurum esse firmavit dicendo. non nubent quod ad feminas pertinet. neque
uxores ducent quod ad viros. Erunt ergo que vel nubere hic solent vel ducere uxo
res. sed ibi hoc non facient. Proinde quod ait apostolus occursuros nos omnes in virum
perfectum totius ipsius circumstantiam lectionis considerare debemus. que ita se
habet. Qui descendit inquit. ipse est et qui ascendit super omnes celos ut adim
pleret omnia. Et ipse quidem quosdam dedit apostolos. quosdam autem prophetas. alios vero
evangelistas. quosdam autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus
ministerii in edificationem corporis Christi. donec occurramus omnes in unita
tem fidei et agnitionis filii dei in virum perfectum. in mensuram etatis plenitudinis
Christi ut ultra non simus parvuli. iactati et circumlati omni vento doctrine
in illusione hominum in astutia ad machinationem erroris. veritatem autem faci
entes in karitate augeamur in illo per omnia. qui est caput Christus. ex quo omne
corpus conexum et compactum per omnem tactum subministrationis secundum
operationem in mensuram uniuscuiusque partis incrementum corporis facit
in edificationem sui in caritatem. Ecce qui est vir perfectus caput et corpus. quod
constat omnibus membris. que suo tempore complebuntur. cotidie tamen eidem
ei corpori accedunt dum edificatur ecclesia cui dicitur. Vos autem estis corpus
Christi et membra. et alibi. pro corpore inquit eius quod est ecclesia. itemque alibi. unus
panis. unum corpus multi sumus. de cuius corporis edificatione et hic
dictum est ad consummationem sanctorum. in opus ministerii in edificatione cor
poris Christi. ac deinde subiectum. nunc unde agimus. donec occurramus